

A 231
3

00. J.

Hist.

III

C. 2.

ac EXERCITATIO ACADEMICA; 28

Exhibens

DECADEM
MELETEMATUM
PHILOLOGICORUM,

Quam

DEO ADJUVANTE
IN ACADEMIA PATRIA,

PRÆSIDE

M. GODOFREDO HENRICO
GOLTZ,

publicè defendendam suscepit

CAROLUS WILHELMUS KAHL,
Regiom. Boruff.

In Auditorio Philosophico,

Anni MDCCXX. Die ~~XX~~IV Aprilis.

REGIOMONTI,
Typis REUSNERIANIS.



**PATRIÆ
PATRONIS**

Atque

AMICIS.

MELETEMA I.



X eo, quod Gen. I. 5. in descriptione dierum creationis, pro principio iis assignatur vespera, & pro termino tempus matutinum, originem dubio procul traxit mos ille Hebræorum, quo, ex Dei ipsius mandato, dies sacros à solis occasu fuerunt exorsi. Quale diei sub vesperam illucescentis exordium indicatur Luc. XXIII. 54. καὶ ἡμέρα ἦν ἑσπερα καὶ σάββατον ἰπέφωσκε, *Et dies erat parasceve, & sabbathum illucescebat; ut & Matth. XXVIII. 1. ὅψε δὲ σαββάτων τῇ σπὶ φωσκέσῃ εἰς μίαν σαββάτων, ἦλθε Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ καὶ ἡ ἄλλη Μαρία, θεωροῦσαι τὸν τάφον. Vespera autem sabbathorum, que lucefcit in unam sabbathorum, venit Maria Magdalena & altera Maria spectatum sepulchrum.* Putant quidem nonnulli, per vesperam, in posteriore loco, summum diluculum, quod diem proximè antecedit, intelligendum esse; sed rectius alii tum ad creationis ordinem, tum ad constitutionem divinam provocant, & ὅψε σαββάτων interpretantur, *finita septimana*, quemadmodum ὅψε ἡμερας est *finita die* apud Thucydidem, ὅψε τῆς ἡλικίας, *in extremo atatis*, ut adeo sensus sit: ὅψε σαββάτων *finita septimana*, cum sabbathum magnum præteriisset & circa vesperam prima sabbathorum, a vespere incipiens, succederet, venerunt illæ Mariæ ad videndum sepulchrum. vid. B.D. Gerhardus Harm. Evahg. Cap. CCV. p. 2069. & Cap. CCVII. p. 2086. seq. Lundius, Sacerdotii Levitici Lib. V. Cap. IV. p. 941. a. Præter Judæos autem, ipsis quoque gentilibus, modus ille, quem Moses in describendis diebus creationis adhibuit, anam videtur dedisse

A

pari

2
pari ratione dies suos inchoandi a solis occasu, Varro enim, teste Gellio, Noct. Att. Lib. III. Cap. II. p. 85. in lib. rerum humanarum scripsit, Athenienses a sole occaso ad solem iterum occidentem omne id medium tempus unum diem dicere solitos. Atheniensibus Ægyptios quoque Gallos & Germanos jungit Alexander ab Alexandro Genial. Dier. Lib. IV. c. 20. *Peruulgatum fere est, Ægyptios & Athenienses diem a solis occasu facere &c.* Simili modo, inquit ille, *Galli & Germani ita sunt metiti diem, ut temporum spatia non dierum numero, sed per noctium vicissitudines computarent, noctesque diebus anteferrent.* H. I. vid. Picinellus Lumin. Refl. P. I. p. 4. a. Goodvinus in Mose & Aarone Lib. III. c. I. p. 190.

MELETEMA II.

Ad locum Exod. II. 10. quæri solet, Ægyptiumne an Hebraicum Mosi inditum fuerit nomen? Petrus Daniel Huetius in Demonstratione Evangelica Prop. IV. p. 288. in ea est sententia, ut existimet Ægyptium ei nomen primum fuisse impositum, atque hujus nominis interpretationem esse *Moses*, quod tamen purum putum Hebraicum sit Rationem assignat hanc, quod verisimile non sit, Ægyptiam puellam, Pharaonis filiam, Hebraicæ ignaram lingvæ, Hebraicum nomen, ex Hebraica lingvâ petiitum, Mosi tribuisse. Sed magis probatur nobis sententia illorum, qui ipsum nomen *Moses* primum ei inditum fuisse contendunt. Nec obstat ratio a Viro doctissimo adducta. De eo enim adhuc disceptatur, utrum a filia Pharaonis, an a matre nomen Mosi fuerit impositum. Nos certe nulli dubitamus calculum nostrum addere sententiæ D. Pfeifferi, qui in Dubiis Vexatis Cent. I. Loc. LXXXIII. posterius sequentibus adstruit rationibus (1) quia nomen indicio Spiritus S. Hebræum commodius Hebrææ adscribatur, quam Ægyptiæ: (2) quia verba

ba proxime præcedentia, foeminina scil. וְהַמִּצָּחִי, וְהַמִּצָּחִי 3
 וְהַמִּצָּחִי spectent ad matrem Mosi, (3) quia verbum מִצָּחִי
 commodè transferatur, extraxisti vel extrahendum curasti
 eum.

MELETEMA III.

Thuribulum illud, in quo Pontifex, Sanctum Sancto-
 rum expiationis festo ingressus, thus adolevit, ab altari thy-
 miamatis distinctum haud fuisse nonnulli statuunt. Quam
 sententiam in primitiva jam Ecclesia Origenes defendit
 Hom. IX. in Lev. quem secutus est Augustinus Qv. 133. &
 174. in Exod. vid. B. Gerhard. Comment. in Epist. ad Hebr.
 Cap. IX. v. 4. Diverfum autem elucet quàm clarissimè ex
 Lev. XVI. 12. 13. Ibi enim expressis verbis thuribulum di-
 stingvitur ab altari, dum Pontifex capere jubetur thuribu-
 lum plenum prunis de altari sumtis, illudque thuribulum
 cum suffimento adducere intra velum, & postmodum suffi-
 mentum spargere in prunas suffituque obnubilare propitia-
 torium. Aliud certe est thuribulum, quod prunis de altari
 sumtis repletum fuit, aliud altare ipsum: aliud etiam est
 thuribulum cum suffimento in sanctum sanctorum deferre,
 ut sacer textus loquitur; aliud in altari thymiamatis ado-
 lere thymiam, cujus fumus è proximo sanctum sanctorum
 obnubilet, ut explicant illi, qui thuribulum ab altari thy-
 miamatis non distingvunt. Vid. Lundius, Sacerdot. Lev.
 Lib. I. Cap. XX. p. 99. Cunaeus de Rep. Hebr. Lib. II. cap. IV.

MELETEMA IV.

Deut. I. 1. cum Moses ait: אֵלֶּה הַדְּבָרִים אֲשֶׁר דָּבַר
 בְּעֵבֶר הַיַּרְדֵּן: אֵלֶּה כְּלֵי-יִשְׂרָאֵל כַּאֲשֶׁר מִשְׁחֵה אֵל-כַּל-יִשְׂרָאֵל בְּעֵבֶר הַיַּרְדֵּן: *ista sunt verba, quæ
 locutus est Mosèh ad omnem Israel in transiit Jordaniis, quæ
 non reddendum est per Trans sed per Cis. Moses enim, qui
 notat se Deuteronomii verba scripsisse, בְּעֵבֶר הַיַּרְדֵּן, Jordani-
 nem*

nem transgressus non est. **בְּעֵבֶר** autem non ulteriora solum, sed citeriora quoque notare loca, in dubiis probatur exemplis. Num. XXXII. 32, dicunt Rubenitæ & Gaditæ se terras incolendas accepisse **לְיַרְדֵּן בְּעֵבֶר** i. e. *cis Jordanem*. Loquuntur enim de terris Jaeser & Galaad quas in sortem sibi dari petierant, eò quod pecoribus abundarent, iisque alienis terræ nullæ viderentur magis accommodatæ v. i. Terras autem Jaeser & Galaad cis Jordanem fuisse fitas, ipsi innuunt v. 5, *Precamur si invenimus gratiam coram te ut des nobis famulis tuis eam (regionem) in possessionem nec facias nos transire Jordanem*. Deut. III. 8, Moses res gestas Israelitarum narrans, *Tulimusq̄*, inquit, *illo in tempore terram de manu duorum Regum Amorrhæorum, qui erant יַרְדֵּן בְּעֵבֶר h. e. *cis Jordanem* nam Amorrhæi illi Reges, Og nempe, Rex Balan, & Sichon, Rex Chesbon, respectu Mosis scribentis erant cis Jordanem Num. XXXII. 33. Quibus probe observatis non potest non apparere, quam futile sit argumentum, quod quidam ex locutione **יַרְדֵּן בְּעֵבֶר** Deut. I. 1, occurrente, existruunt, evicturi, Deuteronomii autorem non Mosen esse, qui Jordanem non transierit; sed Efram in terra sancta, cuius habita ratione campestria Moab, in quibus Moses extremum ad Israelitas verba faciens legem iteravit, fuerint trans Jordanem, vid. Huetius Démonstr. Evang. Prop. IV. p. 299. conf. Interpretes apud Polum in Syn. Crit. in h. l.*

MELETEMA V.

Josue caput XXI irritò conatu in subsidium vocatur a nonnullis, qui urbes Levitarum omnes asyloꝝ jure gavias volunt. Vulgata quidem quatuor numerat urbes confugii in sola tribu Ephraim, Sichem, Gazer, Cibsaïm & Bethoron v. 21; & duas alias in tribu Manasse, Gaulon & Bosran v. 27; tres in tribu Naphtali, Cedès, Hammothdor &

5

& Carthan v. 32; quatuor in tribu Gad, Ramoth, Manaim, Hesebon & Jaeser v. 38. 39. unde suspicantur nonnulli idem quoq; de reliquis Levitarum urbibus esse intelligendum, licet expresse confugij vocabulo insignitæ non sint. Manifestum autem est, cum textu Hebræo pugnare versionem vulgatam, dum singulis enumeratarum tribuum urbibus asyli nomen attribuit. Sic in allegato v. 21. verba textus originalis ita fluent **וַיִּתְּנוּ לָהֶם אֶת-עִיר מְקַלְט הַרְצִיחַ אֶת-שָׂכֶם וְאֶת-גֹּזֵר** v. 22. **וְאֶת-קִבְצִים וְאֶת-בֵּית-חֹרֶן עָרִים אַרְבַּע:**
Dederunt illis Civitatem refugii homicide, Sechem & Gezer & Cibsaim & Bethhoron civitates quatuor. Habetur ibi **עִיר מְקַלְט** *civitas refugii* in singulari non in plurali, & refertur non ad urbes, quæ subjiciuntur, omnes; sed ad eam, quæ proxime nominatur, h. l. ad Sechem. Vulgata a. verba Hebræa sic reddidit: *De tribu Ephraim (hæc data fuit possessio) Urbes confugii, Sichem & Gezer & Cibsaim & Bethhoron, civitates quatuor,* ubi pro singulari pluralem substituit, *Urbes pro urbe*, haud secus acsi in Hebræo haberetur **עָרֵי מְקַלְט**. In fine quidem versiculi vigesimi secundi adhibetur **עָרִים** in plurali, sed absolute positum, non in constructione cum **מְקַלְט** quod refugium significat, unde id ceu generale vocabulum, tum ad refugii urbem, tum ad ceteras, quæ refugii jure gavisæ non sunt, referri commodè potest. Similem in modum in **עָרֵי מְקַלְט** quod in singulari adhibet & soli urbi Golan addit textus originalis, per pluralem explicat & urbi Bosran etiam ac ceteris accommodat Vulgata, quem errorem quoque circa **עָרֵי מְקַלְט** & 39. committit. Persistimus itaque in sententia communiter recepta, de sex tantum refugii urbibus, tribus nimirum cis Jordanem a Mose constitutis Deut. IV. 41. & tribus a Josua trans Jordanem additis, quibus tamen, supposita conditione dilatationis ad Euphratem & mare rubrum, tres alias, extra Cananææ terræ fines,

finis, addendas fuisse, ex Deuteronomii XIX. v. 8. coll. cum v. 1. & 2. nec non Gen. XV. 18. per bonam consequentiam infertur. vid. B. D. Gerhardus Comm. in Deut. p. 1150. B. D. Joh. Ad. Osiander Diss. Acad. de Asylyis Hebr.

MELETEMA VI.

Sunt, qui per trecentas Simsonis vulpeculas, quarum Jud. XV. 4. fit mentio, totidem straminis manipulos intelligant, & verba **שָׁמֵשׁ וַיִּלְכֹּד שְׁלֹשׁ מֵאוֹת שִׁיעוּלִים** לפרוץ לפתות ויפן זנב אל זנב וישם לפיר אחר בין שני הזנבות בתור; ויבער שוער כלפרים וישלח במקמות פלשתים; reddant: Und Simson gieng hin und nahm 300. Strohrs Wische und kehret ein Ende gegen das andere, und legte einen Brand zwischen zweyen Enden, und zündete die an mit Feuer und warff sie unter das Korn der Philister. vid. Observat. Hall. Tom. VIII. Obs. XIV. Sed huic tententiae applaudere non possumus. Nam **שִׁיעוּלִים** vulpeculas significat, non straminis manipulos, & judicant Critici a tussi deductum esse hoc vocabulum. Hebræum enim **שָׁעַר** tussire est. Autor Berescit Rabba de Noa Sect. 32. in fine **וְרוּחַ הַיָּם מֵעַתָּה נִזְנָח רֵיחַ מִפְּנֵי הַצְּנֹר מוֹצִיָּה קוֹר כַּעַן שִׁיעוּר** *Is pra frigore sanguinem excrebat*: i. e. ut ait Baal Aruch **וְרוּחַ הַיָּם מֵעַתָּה נִזְנָח רֵיחַ מִפְּנֵי הַצְּנֹר מוֹצִיָּה קוֹר כַּעַן שִׁיעוּר** *Vocem edebat tanquam (Schöel) tussientis & sanguinem emittebat*. vid. Buxtorffii Lexicon Chald. Talm. Rabbinicum p. 2484. seq. Fac jam **שִׁיעוּר** denotare straminis manipulum: omnem sic, inter derivatum & radicem, significationis analogiam sustuleris. Quid enim straminis manipulo cum tussi? At derivationis ratio explicari potest quàm commodissime, si **שִׁיעוּר** significare dicatur vulpem. Aut enim revera tussire, aut gannitu tussientis raucedinem imitari vulpecula creditur. vid. Dietericus Antiquit. Bibl. p. 474. Unde & Anonymus quidam, quem Bochartus in Hie-

7

rozoico Lib. III. c. XIII. p. 850. allegat, *videtur*, inquit, hoc
 animal esse tussi obnoxium, & propter calorem internum, qui
 vehemensissimus est, perpetua pulmonum intemperie laborare, quod
 gannitus ejus & raucus clamor abunde docent. Proinde cum se-
 nem videmus, tussim ex imo pectore vix extundentem, dicimus:
 haec est vulpina tussis, que te in foveam deducet. H. I. Et si
 maxime ignoraretur radix vocis שָׁעַר, ex usu tamen ejus
 in scriptura vulgato certum de ejusdem significatione ferri
 posset judicium. Sexies enim præter locum præsentem, in
 scripturis occurrit, & semper sensu ἀλώπηκος, ut verterunt
 LXX. Si præterea, quarum vocum radix ignoratur, earum si-
 gnificatio protinus esset vocanda in dubium, ambigendum
 etiam esset de sensu vocum בָּנִי cibus, בַּיִת Domus, בָּשָׂר
 caro & aliarum, quarum radices desiderantur, sensus vero
 fati habetur exploratus. Porro in nova illa observatione
 verbo לָכַר assumendi tribuitur sensus, cum tamen illud prop-
 rie non assumere vel arripere, sed arte venatoria capere
 significet, ceu patet ex Cohel. VII. 26. Prov III. 26. Ps. IX.
 16. vid. B. D. Geierus Comment. in Psalm. p. 132. & 554.
 Cum ergo demonstratum sit שָׁעַר Denotare vulpes,
 commodius his applicueris verbum לָכַר, si in propria ca-
 ptandi significatione illud acceperis, quam si quamvis aliam
 ei tribueris. Vocabulum נֶבֶךְ itidem improprie capitur in
 observatione. Propriè enim non extremitatem sed cau-
 dam notat. Radix quidem in Hebræo non existat, at in A-
 rabismo reperitur, ubi *pinguis fuit*, notat, non *extremus fuit*.
 A pingvedine autem optimè fieri potest denominatio cau-
 dæ, eo quod circa caudam carnes sint pingviores. Tandem
 etiam verbum שָׁלַח *dimittere, expellere ejicere* multo frequen-
 tius significat, quam *injacere, projicere*. Non ergo temerè sen-
 sus aliquis verbi שָׁלַח minùs famosus est amplectendus & ex
 eo postmodum sensus vocum שָׁעַר & לָכַר determinandus;

fed

fed cum שׁוּעַר, ex vulgato scripturæ usu, feram notet, & לָכֶר ex arte venatoria petium captandi sensum habeat, verbo שָׁלַח ejusmodi assignanda est significatio, quæ ad sensum vocum שׁוּעַר & לָכֶר apprime congruat. Talis autem hic est dimittendi non injiciendi significatio. vid. Dissertatio D. Gebhardi de Vulpibus Simionæis. B. D. Fechtii Sylloge Controv. Disp. IV. §. 4. p. 98. L. Salom. Deylingii Observat. Sacr. P. I. Obs. XIV. p. 61.

MELETEMA VII.

Multum in eo desudant interpretes, ut Supplicium illud, quod de Ammonitis Davidem sumsisse è 2 Sam. XII. 31. constat. à crudelitatis suspicione liberent. Haud scio tamen an præstitum hoc à quoquam sit felicius, quam a Celebrerrimo Danzio, qui in Tractatu quodam Anno 1710. in vulgus edito, cui titulus : *Davidis in Ammonitas devictos mitigata crudelitas*, acerbitatem supplicii, quo Ammonitas David affecit, commoda verborum interpretatione mitigare annisus est. Nimirum cum l. c. prima supplicii species his describitur verbis : וְאֵת - הַעַם הַיִּשְׂרָאֵלִי הוֹצִיָה וַיִּשְׂבֵּהוּ בְּמִנְרֹתָא i. e. secundum Pagninum, & *populum, qui in ea (Rabba) eduxit & posuit in serra*: Vir Clarissimus ea sic reddit : *Et posuit David populum* (victum & e patria abductum) *ad Serram*, sc. trahendam, pro secandis lignis, ea præcipuè ætate, qua machinæ molendinariæ, quæ hodie id præstant commodius, nondum erant inventæ. Simili rem illustrat à patribus mechanicis petito, qui apponunt vel applicant filios suos sæpe nondum ephebos ad instrumenta suæ artis; non ut per eadem pereant, sed ut convenienter iisdem uti maturè discant. Atque ut scripturam e scriptura explicet, provocat ad Hab. I. 12. ubi Deus introducitur Gentem Chaldæam ponere ad judicium sc. exercendum vel ut judicet : quod alibi dicitur *ponere aliquem judicem* Exod. II. 14.

2. Sam.

2. Sam. XV. 4. Adducit etiam locum 1. Sam. VIII. 11. *Ponct*
Rex filios vestros ad currum suum, sc. vel trahendum, ut Se-
 fostres fecisse legitur Plin. L. 33. c. 3. p. 454. vel potius re-
 gendum moderandumque; non ut eo conterantur. Ad al-
 teram quod attinet supplicii speciem, cum David populum
 victum posuisse dicitur **וּבְחַרְרֵי הַבְּרֹזָה** secundum Pagni-
 num, *in irabis ferreis*: secundum alios, *in tribulis*; Dn. Dan-
 zius variis exemplis, ex Maimonide, ex Mischna & Gem-
 ara, productis, probat חרץ fossam vel fodinam notare, sub-
 jicitque, vocem hanc eo sensu plus millies in Talmude oc-
 currere, nunquam vero tribulam significare, atque adeo in
 nostro etiam textu eandem vocem, cum vocabulo ferrum
 notante constructam, ferri fodinas inferre, sensumque esse,
 quod posuerit David Ammonitas in ferri fodinas (quas Pa-
 læstinæ in Scriptura tribui ex Deut. VIII. 7. seqq. Deut.
 XXXIII. 25. probat) ad fodiendum parandumque ferrum.
 Tertiam supplicii speciem verbis **וּבְמַגְרֹרֵי הַבְּרֹזָה** no-
 tatam, reddit, & *ad scalptra ferrea* (secandorum lapidum cau-
 sa.) Verba quæ sequuntur & quartam supplicii speciem con-
 tinere creduntur, sic convertit: *Et transire fecit, vel postquam*
transire fecisset eos una cum Rege suo. Vir Clarissimus enim
 misso קרי seu lectione marginali, quæ מלכין legendum esse
 monet, כתיב seu lectionem textualem retinet, ita tamen ut
 pro .. substituatur - adeoque מלכין illud textuale ad Regem
 Ammonitarum referat, qui dignitate spoliatus, una cum
 principibus, ignominiam legatis illatam svadentibus, reli-
 quisque subditis, armata manu resistentibus, in exilium ab-
 ductus fuerit, ad duras in metallis præstandas operas. Cum
 vero interpretationi huic obstare videatur locus 1. Chron.
 XX. 3. ubi concise eadem repetitur historia his verbis:
וַיִּשֶׁר בְּמַגְרֹרֵי הַבְּרֹזָה וּבְחַרְרֵי הַבְּרֹזָה quæ Junius
 & Tremellius transtulerunt, *Et dissecut serra & tribulis ser-*

B

1615

reis & securibus: Vir Doctissimus ab hoc ita se expedit nodo:
 Thema vocis *ישׁר* ait h. l. esse *סור* recedere. Quod enim
שׁ & ס æquipolliceant inter se, neminem, qui linguarum orien-
 tialium sit gnarus, latere arbitratur. Et ne illud in hac
 saltem Radice *סור* minus usitatum dicas, considerandum
 proponit locum Hof. IX. v. 12. *אוי להם בשׁורי מהם*
Va illis cum ego recessero ab illis ubi *בשׁורי* itidem per *שׁ* pro
ס scriptum, cum totus contextus recedendi significatio-
 nem extorqueat. Cujus exempli intuitu, neminem existi-
 mat de jure quid culpare posse in versione supra suppeditata,
Recedere fecit ad ferras &c. quæ quoad sensum etiam exacte
 conveniat cum *העכיר* Samuelis, siquidem *transire facere vi-*
ctos & recedere facere a suis ad ferram quoad rem prorsus co-
 incidant. Hæc est Viri Excellentissimi, circa locum præsen-
 tem, sententia, in quam & nos concedimus, sic tamen, ut
 circa verba, quæ ad Regem Ammonitarum ejusque princi-
 pes, & reliquos, qui armata manu restiterint, accommodat,
 modestè nostram cohibeamus assensionem, & *מלבן* quod *קרי*
 ceu diversam lectionem in margine exhibet, cum plerisque
 interpretibus retineamus h. l. *Et transire fecit ad fornacem* i. e.
 adhibuit eos ad lateres formandos excoquendosque ad
 exemplum Israelitarum, in Ægypto idem præstantium. Ob-
 stare quidem ait Vir Clarissimus illi sententiæ potissimum
 hoc, quod Judæa, in quam transire facti seu abducti legan-
 tur Ammonitæ, nullas habuerit fornaces lateritias, quia re-
 gio ista lapidibus ad muros extruendos abunde fuerit instru-
 cta, adeoque lateribus carere potuerit; sed quantumvis
 ex eo quod lapidibus abundavit Judæa, colligere liceat,
 in extruendis ædificiis potissimum lapidibus usos fuisse
 Judæos, laterum tamen usum apud eos prorsus fuisse
 exclusum, inde non consequitur. Si maxime etiam
 extra locum præsentem de lateritiis fornace nullibi memi-
 nisset scriptura, vel semel tamen de illa hoc ipso loco scriptu-
 ram

ram meminisse sufficeret. Videri hic potest M. Adami *Erde
manns* Miri Architectonica sacra P. I. Sect. I. Cap. II. p. 6.

MELETEMA VIII.

2. Reg. XXIII 11. Josias dicitur e medio sustulisse equos, quos antecessores ejus soli sacraverant. וַיִּשְׁמַר אֶת הַסּוּסִים אֲשֶׁר נָתַנוּ מַלְכֵי יְהוּדָה לְשֵׁשׁ מְבוֹרֵי בֵּית יְהוָה אֶל-לְשֹׁכֵת נְתַן מֶלֶךְ הַסּוּסִים אֲשֶׁר אֶת-בְּפוֹרֹתָם וְאֶת-מִרְכַּבֹּתָם הַשֵּׁשׁ שָׂרַף בְּאֵשׁ : *Et abstulit equos quos dederant Reges Juda soli ab introitu domus Domini ad cubiculum Nethan-melech Eunuchi quod in suburbanis & curvus solis combusit in igni.* Quæritur hic, quales intelligendi sint equi? Seldenus Syntagm. 2. c. 9. de Diis Syris, de imaginibus equorum quadrigarumque fufis exponit, quem plures sequuntur alii. Hebræi interpretes communiter veros intelligunt equos, qui summo mane decurrerint spatium inter templum & Hierosolymorum suburbia ad ortum sita, interjectum, ut orienti soli occurrerent. Nos salvo aliorum iudicio itidem veros & vivos equos innui statuimus. Nam (1) Nihil apud Gentiles, quorum morem Antecessores Josiæ dicuntur secuti, fuit usitatius, quam veros & vivos equos dicere soli. In Perfarum enim agmine equum ejusmodi soli sacrum Jovis currum fuisse secutum, Curtius auctor est. Ita enim is in describenda Perfarum expeditione: *Curram, inquit, Jovis sacratum albentes vehebant equi. Hos eximia magnitudinis equus, quem solis appellabant sequebatur.* H. I. L. 3. c. 3. §. 11. Equos etiam ejusmodi cæfos soli immolatosque fuisse scriptores testantur. Xenophon Lib. IV. Anabasis: Ἰππον ὃν εἰληφει παλαιώτερον δίδωσι τῷ Κωμάρχῃ ἀνατρέψαντι καταρῆσαι, ἐπὶ ἤρπεν αὐτὸν ἰεῖον εἶναι τῷ Ἡλίῳ. *Equum quem sumserant seniore, pagi præfesto, qui illum innutriverat, reddidit immolandum, quia soli sacrum esse audit.* Causam cur equos

fōli immolayerint, Herodotus, assignat hanc: τῶν Θεῶν τῶν ταχίστων πάντων τῶν θνητῶν τὸ ταχίστον δατιόνται *Deorum celerrimo mortalium omnium celerrimum assignant*, H. I. in fine Lib. I. Non absone ergo suspicabimur, ejus generis hos quoque fuisse equos, quos removisse legitur Josias. (2) Sacris literis solepne est in describendis statuis & simulacris exprimere eorum materiem, id quod varia comprobant exempla, ut Vituli ab Aarone, serpentis a Mose, & boum ac leonum a Salomone conflatōrum. Hoc autem loco non aureos, non argenteos aut æneos equos, sed simpliciter equos a Josia remotos fuisse facer textus indicat, materiã, ex qua constiterint, haud expressã. (3) Si equi fuissent sculpi aut fusi, non spatium tam ingens, inter templi fores & domum Nathan Melechi, interjectum illis fuisset, assignatum. Nec (4) equos in una statua a curru distinxisset Josias, quod tamen fecit. Equos enim abstulisse dicitur & non combussisse, currus vero combussisse non abstulisse. Vid. Dietericus Antiquit, Bibl. p. 372. Bochartus in Hieroz. Lib. II. Cap. X. p. 176. seq. Lundius Lib. II. Sacerd. Lev. Cap. XXIII, p. 343. Urfinus Analect. Sacr. P. II. Lib. III. c. VIII.

MELETEMA IX.

Locus 2. Reg. V. 18. non concinnius videtur explicari posse, quam si Gerundium כְּבוֹי, participium פָּשַׁי & præteritum הִשְׁתַּחֲוִיתִי in præterito exponantur. Quod ad Gerundium כְּבוֹי attinet, fatendum quidem, illud quibusdam in locis futurum tempus connotare; nihilo tamen minus certum est, illud multo frequentius adsignificare præteritum. Vid. Gen. XXX. 38. XXXIII. 9. Exod. XXXIII. 9. Lev. XVI. 23. Num. VII. 89. Jos. III. 15. Jud. I. 14. 1. Sam. IV. 5. 2. Sam. I. 2. 2. Reg. XII. 10. 1. Chron. XII. 19. Esdr. II. 68. Esth. IX. 25. Pl. LI. 2. Ezech. X. 3. &c. A Vulgatiore autem

tem hac gerundii significatione, ut hic recedamus, nulla constringimur necessitate. Si vero gerundium כְּבֹיִן exponitur in præterito, ut sonet, *cum intraret*, necessario ad participium נִשְׁעַן supplendum est præteritum הָיָה *fuit*. Si porro נִשְׁעַן explicandum est in præterito per *innitebatur* aut *innixus est*, necesse est הִשְׁתַּחֲוִיָּה quod subsequitur, significet & adorari vel *procubui*. Nec est quod objicias verbum hoc significationem habere futuri, propter additum ו converſivum præteriti, quod significationem præteriti mutet in significationem futuri. Nam ו illud præfixum converſivum non est, sed copulativum. Ubi enim ו est converſivum præteriti, futurum aliquod, sive expressum, sive sub intellectum, præcedat necesse est, quod hic minime fit, si modo participium נִשְׁעַן præteritum censeatur ratione significationis. Verba itaque sic commode fluunt: *Hac in re igitur parcat Dominus servo suo, quod in ingrediendo Dominum meum seu cum ingrederetur Dominus meus in eodem Rimmonis, ibi ipse fuit innixus super manum meam & incurvavi me in eade Rimmonis.* Favent huic expositioni Vinarienses, h. l. Waltherus, Cent. Miscell. n. 6. p. 102. seq. Dorschæus Theol. Zach. P. I. c. 6. p. 83. & alii, quos allegat Pfeifferus in Dubiis Vexatis Cent. III. Loc. III. p. 236, qui tamen ipse aliam amplectitur.


MELETEMA X.

Jerem. XIII. i. seqq. Propheta jubetur mercari cingulum eoque lumbos incingere suos. Post mandatum accipit, ut ad Euphratem se conferat, ibique in fissura petrae cingulum abscondat. Tandem ad Euphratem jubetur redire cingulumque inde recipere. Videas hic mirari in-
terpre-

14
 terpretēs, quid sit, quod cingulum tam longe exportan-
 dum fuerit Prophetæ, ex Judæa sc. ad Euphratem. Du-
 centis enim leucis ab urbe Hierosolyma abfuisse dicitur
 Euphrates. Tollitur vero loci longinquitas, si cum Cla-
 rissimo Bocharto dicas, Hebraicum פֶּרֶר non Euphratem
 fluvium sed alium quendam locum propiorem significare,
 nihilque aliud esse פֶּרֶר quam פֶּרֶר h. e. Bethlehem &
 circumjacens regio. Bethlehem enim secundum quosdam
 duabus tantum leucis, aut secundum alios duabus parasangis,
 ad summum sex milliariis ab urbe Hierosolyma distat. Nec
 huic explicationi obstat N ex vocis hujus principio elifum,
 cum tot elisionis hujus exempla occurrant. Sic idem ho-
 mo Ram vocatur Ruth. IV. 19. & Aram Matth. I. 3. idem
 locus פֶּס דָּמִים Pas-dammim I. Paral. XI. 13. אֶפְסֵי דָּמִים
 Ephes-dammim I. Sam. XVII. 1. iidemque Syri, qui alias
 vocantur semper אֶרְמִים cum N, 2. Par. XXII. 5. sine N
 appellantur. Vide de his fusius tractantem modò
 laudatum Bochartum in Phaleg & Canaan
 p. m. 956.

p. 6, lin. 2. ad locum Gen. 15, 18., adde Exod. 23, 31.

S. D. G.



64199

AB 64 199


ULB Halle 3
001 970 631



TA → 2C

VD 17





ac
EXERCITATIO ACADEMICA; 28
Exhibens
DECADEM
MELETEMATUM
PHILOGICORUM,

Quam
DEO ADJUVANTE
IN ACADEMIA PATRIA,
PRÆSIDE
M. GODOFREDO HENRICO
GOLTZ,

publicè defendendam suscepit
CAROLUS WILHELMUS KAHL,
Regiom. Boruss.

In Auditorio Philosophico,
Anni MDCCXX. Die XXIV Aprilis.

REGIOMONTI,
Typis REUSNERIANIS.

